Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25974
Copyright: Admont, Benediktinerstift

260

a. in epistolam ad romanos.

mentem suam letificat et pascit. Quia carnem et animam sumpsi ut totum hominem saluum facerem, uita salutis est. Caro mea uere cibus est et sanguis meus uere potus est. Id est per carnem meam et sanguinem dabo ueram sacietatem sufficientem uidelicet atque eternam. Caro enim saluatoris pro salute nostri corporis oblata, sanguis uero pro anima nostra effusus est, ut nos in corpore et anima saluos faceret. Sicut prefiguratum fuerat a moyse. Caro inquit pro corpore uestro offeretur, sanguis pro anima. Ideoque non manducandum sanguinem. Inde ergo nobis cibus et potus spiritualis. In uoce iubilationis et sonus epulantis. Quia sine intermissione quadam mentis masticatione ruminandum carnem christi et sanguinem preciosum esse nostre receptionis, uiam uite immortalis in qua nec sitis nec esuries erit. Animal autem quod non ruminat inmundum est. Augustinus libro tercio de doctrina christiana. In locutionibus figuratis seruabitur hec regula, ut tam diu uersetur diligenti consideratione quod legitur donec ad regnum caritatis interpretatio perducatur. Nisi manducaueritis inquit carnem filii hominis et sanguinem biberitis non habebitis uitam in uobis. Facinus uel flagitium uidetur iubere. Figura est precipiens passioni domini esse communicandum, et suauiter atque utiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro eius crucifixa et uulnerata sit. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet per conformationem uite et ego in illo per inhabitantem gratiam. Profecto fides in corde tuo est, christus in corde tuo.

Sicut misit me uiuens pater et ego uiuo propter patrem. Et qui manducat me, et ipse uiuet propter me. Pater me equalem sibi misit, id est hominem fecit. Ut quasi adulsum tamquam maiorem referam uitam meam, examinatio mea fecit in qua me misit. Ut autem quisque uiuat propter me participatio facit qua manducat me. Manducamus, id est accipimus ipsum uitam eternam. Vel uiuit filius propter patrem, quia ipse est ex patre. Sicut enim pater non est indigens uita, sic filius non indiget alterius uite. Utique enim una uita quia unus deus.

Sic est panis qui de celo descendit. Non sicut manducauerunt patres uestri manna et mortui sunt. Qui manducat hunc panem uiuet in eternum. Hic id est in hoc loco, uel hic scilicet filius hominis deus super est panis de celo. Non sic morientes manna quia celestem panem manducat sic patres uestri manducauerunt manna et mortui sunt.

Hec dixit in sinagoga docens in capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis eius dixerunt. Durus est hic